



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA FARAFANGANENSIS - ARCIS DELPHINI (IHOSIENSIS)* NONNULLIS DETRACTIS TERRITORIIS AB ECCLESIIS FARAFANGANENSI

ET ARCIS DELPHINI, NOVA CONDITUR DIOECESIS, «IHOSIENSIS» NOMINE. Mirifice sane congruit cum vocibus Prophetarum christianae rei condicio in Madagascaria insula, pronuntiantium fore ut Insulae munera Deo vero offerrent (cf. *Ps.* 71, 10) et omnes gentes in altissimi Numinis conspectum venientes, adorarent (cf. *Tob.* 13, 13). In ea enim terra nobilissima, ampla, longinqua, ita sermo Dei cucurrit, itaque clarificatus est, ut iam ille populus et de christiana veritate late cognosceret, et Deum eiusque Filium veneraretur, et donis honestissimis altaria ornaret, in quibus omnipotenti hominum Patri «oblatio munda» offertur (cf. *Mal.* 1, 11). Cum ergo christianae fidei intendendae gratia in ea mundi plaga visum sit bene fieri, si ibi loci nova conderetur dioecesis, Nos sententia audita Sacrae Congregationis Fidei Propagandae atque Ordinariorum, quorum interesset, item venerabilis Fratris Felicis Pirozzi, Archiepiscopi titulo Gratianensis atque in Madagascaria Apostolici Pro-Nuntii, re digna reputatione meditata, haec statuimus atque decernimus. Subpraefecturas civiles, quas dicunt, Ihosy, Ivohibé et Midongy-Sud a dioecesi Farafanganensi separamus; subpraefecturam vero Betroka ab Ecclesia Arcis Delphini detrahimus; his territoriis novam dioecesim constituimus, quae *Ihosiensis* cognominabitur, ab urbe regionis principe. Quam sane Sedi metropolitanae Fianarantsoaënsi suffraganeam facimus, atque Sacrae Congregationi Fidei Propagandae obnoxiam. Sedem episcopalem in urbe Ihosy poni statuimus; cathedram, in templo Sancti Iosephi, in eadem civitate collocari, quod cathedralis dignitate ornabitur. Canonicorum collegium condatur; si vero id fieri statim non possit, concedimus Consultores dioecesanos deligi, quibus Episcopus utatur in negotiis explicandis tamquam consiliariis. Ad cetera quod attinet, omnia profecto iure canonico temperentur. Ad haec autem quae statuimus efficienda, venerabilem Fratrem legamus Felicem Pirozzi, vel quem ille designaverit, factis necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tedio decimo*

mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>GREGORIUS Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i></p>
--	--

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Caspar Cantagalli, *Protonot. Apost. s.*

n.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 16, pp. 1032-1033 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana